



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd timentibus Deum semper prosperè & benè omnia succedunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

gloriari de redemptione & misericordia Dei.

Sapiens inquit Eccl. 23. Nihil melius est super terra timore Dei: quid aurum? quid honores sine timore Dei? Et Psal. 18. inquit Propheta: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi, id est, timentes Deum permanebunt & conseruabuntur in mundo, quantumcunque tyranni & suppressores pauperum tumultuentur. Si enim pro illis Deus, quis contra eos? Rom. 8. Sic quoque beata virgo canit Lucæ 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Et Psal. 33. inquit Dauid: Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum in veritate. & Christus quoque Mat. 10. inquit, Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Summa, qui timet Deum, is non peccat, is faciet bona, & hic non relinquetur à Deo tam in hac, quam post hanc vitam. Ideò parentes vehemèter inculcare tenentur pueris timorem Dei ac punitionem peccatorum, sicut dixerunt Angeli ad Abraham Gen. 18. Nihil ergo proderit, esse receptum in gratia, nisi in timore Domini custodierimus thesaurum.

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTA.

1. *Quid Apostolus vocet conscientiam, & quid cauterizatam conscientiam.*
2. *Quòd maxima cōsolatio hominis coram Deo & mundo in rebus & fama, sit testimonium internum conscientie.*
3. *Quòd sicut nihil est melius bona conscientia, ita nihil peius mala conscientia homini.*



Apostolus loquitur ad Timotheum, scribens de duplici hominis conscientia, & de bona inquit 1. Tim. 1. Finis precepti est charitas, de corde puro, & con-

K 5

scien-